

Genus structura capitibus, pronoto laevi, margine ejus postico sinuato, hemielytris diaphanis, explanatis, areolis membranae confluentibus, haud hyalinis, sed corio et cuneo assimilibus, distinctissimum; a quibusdam generibus divisionis *Bryocoraria*, quibus statura, hemielytris explanatis membranaque subuniareolata nonnihil simile, structura tarsorum mox distinguendum.

Hyalochloria caviceps n. sp.

Ovalis, dilute virescens, hemielytris diaphanis, dilute virescentibus, membrana hyalina, margine interiore tenuiter nigricante, areolis viridi-coriaceis, elongatis, vena cubitali vix distinguenda; antennis articulis duobus ultimis saepeque etiam basi et apice secundi nigricantibus; extremo apice scutelli viridi vel nigricante; capite pone oculos in collum breve constricto, collo oculo magis quam duplo brevior, vertice oculo saltem $2\frac{1}{2}$ latiore, inter oculos late excavato, margine late arcuato; antennis articulo secundo margine basali pronoti circiter $\frac{1}{4}$ brevior; pronoto callis in tylum transversum in latera extensum confluentibus, postice sulco continuo terminatis. ♀. Long. $2\frac{1}{3}$, lat. 1 mm.

Mandeville.

Caput basi pronoti fere $\frac{1}{3}$ angustius, ab antico visum latitudini frontis oculique unici aequae longum, a latere visum altitudine basali fere duplo brevius. Pronotum latitudine basali saltem duplo brevius; sulco transversali mox ante medium posito. Scutellum pronoto paullo longius. Tibiae saltem posticae tenuiter sed sat longe pallido-spinulosae.

24. *Hyalochloria unicolor* n. sp.

Ovalis, dilute virescens, nitidus, superne cum hemielytris tenuiter albo-pubescentibus, membrana hyalina, margine interiore concolore, areolis nitidis, dilute virescentibus, diaphanocoriaceis, quam corio et cuneo haud obscurioribus; antennis totis pallidis; collo capitibus oculo aequae longo, vertice plano, oculo magis quam triplo latiore, sulculo medio longitudinali instructo; antennis articulo secundo margine basali pronoti